

stant, quod prae se fert natans, quando autem extra aquam est, flavescit. Inflare se potest et iterum considere. Sonum edit *Vlch*, *Vlch*. Si velis ut se inflet, trahe pinnam, quae in dorso est.

*Idem l. d.  
c. 14.*

*Guamajacu Attinga Brasiliensibus, Marcgravio Orbis muricatus Ranae rectu, septem digitorum longitudinem habebat, et corpus oblongum: os Ranae simile, et loco dentium tam superius, quam inferius; os durum; oculos magnos, rotundos, protuberantes, pupilla crystallina circulo flavo: Branchiarum loco foramen in utroque latere digitum admittens, et posne hoc pinnam trapezii figura, unum digitum longam, duos latam: In extremitate dorsi versus caudam etiam pinnam oblongam, haud amplam, et e regione hujus similem in infimi vento-*

tris extremitate. Cauda constat penna sesquidigitum longa, unum lata. Totum corpus tegitur cute spinosa, quae in capite in duram testam abit. Spinae illae constant duris ossibus et acutis: in infimo tamen ventre caret spinis, sed mollis est instar Ranae. Totum corpus et caput superius ex gryseo et fusco est maculatum: magis tamen fuscescit, inferius totum ex albo flavescit, ut et spinae totius corporis. Pinnae omnes flavescunt. Post utramque pinnam postbranchialem maculam habet nigerrimam stuferi magnitudine, et supra hanc utrobique, paullum tamen magis versus anteriora aliam minorem nigerrimam. Ad utrumque latus exortus pinnae dorsalis etiam similem habet, parvulas item sub oculis et ore. Vtris modo se inflare potest. Edulis est, et capitur in fluviis dulcibus.

### CAPVT III.

#### *De Narinari, Tiburone, et Iperuquia.*

TAB.  
XXXIX.

**NARINARI.** Sunt aliquot illius species, haec, quam hic describimus, appellatur *Narinari pinima*: Lusitanis *Raja*, Belgis *Ptilsteert* vel *Deicle*. *Pastinaca marina*. Corpus habet magnum, latum, ferme triangulare: constans ad utraque latera latissima pinna triangulari, carnofa: et prope caudam habet duas pinnas, palmi magnitudine, subrotundas aequalis longitudinis: caput magnitudinem habet mediocris porci, crassum, compressum, in medio quasi fosfam habens. Os triangulum subrotundum, compressum paulo et in promuscidem definens: nam oris hiatus quinque distat digitos ab extremitate promuscidis versus ventrem: amplitudo oris duorum et semis digitorum; edentulum, sed loco dentium os habet linguae figura inferius in ore, quatuor digitos longum, sesquidigitum latum, ad fauces usque pertingens, et simile os superius, transversim positum, duos digitos longum et totidem latum. Inferius os constat e septendecim ossibus, albis, duris literae U figuram habentibus, quae arcte per membranas conjunguntur,

hisce alia septendecim subjacent, singula singulis, spongiosa ad aspectum, nec ita dura, superius os constat quatuordecim ossibus literae J figura, quae eodem modo per membranas sibi invicem agglutinantur, iisque etiam alia quatuordecim ossa superjacent: duo autem illa ossa per membranas annexuntur aliis ossibus capitatis. *Cranii* cavitas sex circiter digitos longa est, vix duos lata, in qua cerebrum latet. Promuscis tantum constat cartilagine. *Oculos* habet parvos, nummi misnici magnitudine: post oculos in quolibet latere spiraculum amplum, pomi vulgaris capax; intra haec branchiarum folia recondita jacent: ad latera inferius a fine capitatis in quolibet quinque oblongas incisuras. *Color* totus superius ferreus, maculis albis per totum inspersis, magnitudine nummi misnici, inferius totum album. *Cutis* tota glabra laeviflue. *Corporis* longitudine ab occipite ad exortum caudae sesquipedalis, latitudo inter extremitates pinnarum triangularium, trium pedum, et decem digitorum.

Pinna-